



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Vita Petri Canisii De Societate Iesv

Rader, Matthäus

Monachii, 1614

V. Præfecturam Prouinciæ Paulo Hoffæo tradit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70957)

gestæ seriem exposui. Addit Martinus Eifengreinius, occupatam primū à quatuor cacodæmonibus, ob impiam execrationē, qua se (si seculus esset ac dixisset) orco deuouerat. Post trienniū accessisse reliquos; recitat testes omnes præsentēs, & oculatos nominatim, quos in libello ab eodē de ædicula Oetingensi edito Cap. xiv. copiosius leges. Hoc tamē non omitendum, Annam ab ingrato hospite liberatam, Catholicam pietatem ac religionem in omnem reliquam vitam constantissime coluisse.

PRÆFECTVRAM PROVINCIAE PAVLO HOFFÆO
TRADIT.

CAPVT V.

Totum iam vicennium Canisius Sociis in Germania superiore cū potestate præerat, & interea loci Augustæ in Principe Dei matris æde populum pro Cathedra multis annis &

ante triennium demum dimissa docebat, domi atagonistas erudito calamo cōfigebat, & magna voluminū opera condebat. Poterant Atlantis aut Herculis vires tantis laboribus debilitari. gemebat sub onere Canisius, nec tamen, vt solemus, querebatur, crescebat in dies prouincia, deficiebat ætas. Sed agnouit Franciscus Borgia vniuersæ Societatis moderator Canisij occupationes, quibus vt illum ex parte leuaret, præfectura Sociorum Prouinciali tam diuturna & molesta, tandem abire permisit, quod videret illius operam valdè necessariam esse ad comprimendum furorem hæresiarcharum per omnes id temporis Germanias grassantium, & concionibus vrbes, scriptis totas Prouincias corrumpentium. Visum ergo Põtifici Opt. Max. Pio V. & Borgiæ totius Societatis Antistiti, alio Sociis in Germania præfecto, Canisium ad scribendū impellere. Quod ipse

ipſe fecit perlibenter, & Prouinciam
 regendorum Sociorum commiſit
 Paulo Hoffæo, qui vir quam egregiè
 aptus ad id muneris fuerit, docent
 ea, quæ per annos duodecim in cura
 Sociorum geſſit, poſt quos, Romæ
 ipſi Societatis vniuerſæ præſidi con-
 ſultor haud paucos annos adſedit,
 vnde ad nos reuerſus, Germaniam
 ſuperiorem & ad Rhenum ſita Col-
 legia viſitator luſtrauit, ac demum
 veluti emeritus miles data miſſione
 & armis ad aras ſuſpenſis, Ingolſtadij
 ad annum ætatis quartum & octoge-
 ſimum prouixit, ante annos amplius
 triginta quam moreretur, dudum à
 medentibus, in ipſo præfecturæ in-
 greſſu conclamatus, & per Ioannem
 Raſtellum Anglum liberatus, qui ſe
 victimam pro Hoffæo per votum
 obtulit, vti ſi auctori vitæ videretur,
 Paulus viueret, ipſe vicaria morte
 defungeretur. Ratum habuit Deus
 piam mentem patris, qui vix ædem

C19.12.

LXIX.

facram exierat, ad quam pro Hoffæo peregrè supplicarat, cum è vestigio morbo correptus, & domum æger deportatus, post paucos dies oppetiit, & oraculum illud vere impleuit: *Maiorem charitatem nemo habet, ut animã suam ponat quis pro amicis suis.* Hoffæus illico conualuit, & exequi munus suum perrexit.

OTHONIS CARDINALIS PONTIFICIS AVGVSTANI ACADEMIÆ DILINGANÆ conditoris mors & Elogium:

Canisius comitia adit: opus Marianum edit.

CAPVT VI.

INter hæc Otho Cardinalis Maxim⁹ Societatis patronus, & Canisij cultor, de quo multa supra & honorifica mentio, Romę naturæ debito liberatur. Vir consilio magnus, nec minor pietate, idēq; maximus apud maximos Pontifices & Cæsares auctoritate,